

LITTERATVRA  
SANCTIOR, ET SOLIDIOR  
ILLVSTRI SCHOLÆ GOTHANÆ  
DOMESTICIS EXEMPLIS CLARORVM VIRORVM,  
BREITHAVPTIANO MAXIME,  
COMMENDATA.



H. 118 Sat. A. 3749. Gau

Hist. Saxon.  
H.  
29, 20





## I. N. I.

I. Consilii de Breithauptiana bibliotheca scholastica inferenda ratio: viri politici studia scholastica. II. Horum amplectendorum occasio in vita eius historia investiganda. III. Temporum, quibus natus est, ratio, & litteratura sanctioris pretia, cultoresque. IV. Breithaupti genus: V. institutio domestica, & publica in schola illustri. VI. Curriculum academicorum studiorum inceptum Ienae, continuatum Lipsiae, Gieesse, Heidelbergae: VII. peregrinatio: IX. sparta, & munera publica valetudini infesta: buius curatio: eadem occasio pii instituti, & operum lucubratorum sub vita finem. IX. Eorum perfe-  
ctio, pretium, & applausus. X. Laus heredum, Beati bibliotecam ill. Gymnasii prece-  
ptoribus vendentium: mutua inter illum, cum viueret, & hos amicitia. Commenda-  
tum iuuentuti Breithaupti exemplum. Sermonis publici argumentum.

## I.

**J**OANNIS FRIDERICI BREITHAVPTI,  
S. CÆS. MAIEST. VT ET DVC. SAXON. CONSILIA-  
RII, superiore anno in hac regia vita, præclarisque o-  
peris, quibus occupata fuerat eius senectus, perfuncti,  
bibliotecam publica ILLVSTRIS SCHOLÆ pecunia  
redemptam esse, & qui in huius usum colligitur, codi-  
cum apparatui adiectam, significatum est edita non  
ita pridem tabula, qua scholasticæ bibliothecæ Gothanæ historia, & status  
præsens, ad quem sub auspiciatissimo SERENISSIMI PATRIS PA-  
TRIÆ, FRIDERICI, principatu illa est prouecta, repræsentabatur:  
nunc, dum post cereales ferias noui labores publicandi sunt, non tacendum  
videtur, quam ob rem BREITHAVPTIANA supellex litteraria expetita, & bi-  
blio-

A. 2

bliothece scholasticæ illata sit; idque commodum satis solennis tabulae sup-  
peditat argumentum. Neque enim deerunt, qui mirabuntur, politici viri  
litteraria subsidia conuenire posse scholasticorum hominum instituto; da-  
mnabuntque vanitatem colligentium magis, & ambitiose cumulantium co-  
dices obuios, quam felicentium ad usum suum, posterorumque, qui rem  
scholasticam recte voluerint curare, & ornare præfidiis legitimis. Qui sane  
dum fidem præsentium magistrorum SCHOLÆ ILLVSTRIS in publica pecu-  
nia administranda culpare non poterunt, desiderabunt tamen in eadem im-  
pendenda prudentiam. Sed mirari, & accusare factum nostrum definent,  
quotquot beati viri cognoscere velint studia. Non obscura quidem illa sunt,  
ex quo ingenii eius monumenta, senilis otii fructus, typis descripta sunt, &  
in publica celebritate versantur; atque non necesse adeo videri poterat, ut  
denuo iactetur viri fama, cui non ita pridem iusta facta sunt, & celebrentur  
merita, dudum, & passim nota: sed non raro accidit tamen, ut quorum gloria  
peruagata est orbem terrarum, eorum vera laus, & studiorum ratio ignoren-  
tur in urbe patria. DEI in terris apparentis exemplo non minus, quam iu-  
dicio, quo quis diuinior est, eo minus clarescere solet in patro solo. Emi-  
nens, & popularem captum supergressa virtus saxe ideo contemnitur: quia  
non capit. Ex hoc quasi fumo lucem dant ingenia late splendentia, quæ  
procul negotiis, & in secessu, diu colligunt sapientiæ opes, publice deinde ex-  
plicandas, & propagandas ad posteros. Talibus quis abundasse credidisset  
ingenium BREITHAVPTIANVM, nisi id loquerentur publicata monumenta?  
Quis putasset locum habuisse litteraturam sanctiorem in homine ad rem pu-  
blicam instituto: reconditam, & scholastici apparatus indigentem in sene: nisi  
satis probaret illustratus Christianæ religionis vindex, *Mornæus*, nec non Latini-  
ne redditus *Iosephus Gorionides*, & explanata *Raschiana SACRI CODICIS* inter-  
pretamenta?

II. Non capitur animus, quo ad hæc studia tractanda opus est, pro arbitrio: nec arripiuntur repente subsidia, & adminicula, quibus illa sustinentur.  
Neque enim temere, laborioso quamvis, seni in mentem, & libidinem venire  
solet post fastidita ciuilium officiorum munera conuertere se ad res tam se-  
rias, & graues, quæ iuuenilis animi, & integri ingenii contentione indigent:  
nec per ludum & iocum in extrema ætate discuntur illarum artium discipli-  
nae, & protinus peruestigantur secretioris litteraturæ, eruditæque antiquitatis  
documenta; quæ perspecta esse debent, si quis in lucem proferre voluerit o-  
peræ illis impensa specimen, & sperare illam eruditorum hominum approba-  
tio.

tionem , quæ vulgata BREITHAVPTI ingenii monumenta est consecuta, Post instinctum diuiniorem ille animus a primæ pueritiae disciplina profetus, & sanctæ, religiosæque institutionis gradibus prouidentissime descripsis confirmatus sit , oportet : illa studia sub accurata adolescentiae custodia inculcata , præcipientium autoritate commendata , & ad iuuenilis ætatis spatia quædam continuata sint , necesse est : denique pium i-stud consilium in sanctioribus litteris consenescendi , & has impensa partis patrimonii , & fortunarum ornandi, nec capere, nec retinere ad vitæ finem VIR BEATVS potuit sine proposito sanctissimo, & variis casibus durato. Quæ qualia fuerint, optime intelligetur ex vitæ BREITHAVPTIANÆ fatis: quæ quoisque hæc tabula capiet, nec me pigebit referre, nec studiosum sanctioris litteraturæ lectorem recognoscere. Sane tantæ laudis auspiciis, ac tam inusitatæ virtutis curriculis consentaneum prorsus nactus est nascendi tempus, genus, institutum viuendi.

III. Sub ultima Germanici belli tempora, GIOVIE XXXIX. SEPTEMBRIS VIII. natus procul aberat a corruptelarum periculo, quas pacata offerunt tempora pueris nascentibus, maxime honestiorum , & humanis opportunitatibus florentiorum hominum filiis. Variæ illorum temporum asperitates publicæque clades, quibus exhausta passim erat Germania, & non parum afflita patria fidæ satis frugalitatis erant magistræ , & felicius docebant sapere, ac rectiora, sanctioraque destinare, quam meliorum temporum leges. pia præcepta, & statuta, nec non quantacunque præcipientium autoritas. Eluctantibus ægre ex suorum temporum miseriis placebat nuda virtus, institutio iuuentutis severa. pia, & religiosa; studia solida, & sancta, atque accurata disciplina artium, & litterarum reconditarum, & sacratorum, quibus Christianæ doctrinæ integritas, & huic conueniens boni, sanctique moris cursus continetur, conseruaturque, non cordi solum erant humilis sortis discentibus, quibus plebanorum munera olim essent mandanda ; sed heroum etiam filiis tradebantur. Nec fordere poterant, dum publica feruebat cura de solidæ doctrinæ genere , & pii moris cultu excitando , & in scholas , ecclesiasticas, familiasque introducendo, ad hoc idonei viri passim quærebantur , accersebantur , vel ad famam sanctissimi instituti, redditique litteris, & pietati pretii confluentes admittebantur, & honorum ornabantur insignibus. In iis ipsis ædibus natum se in vitæ suæ historia, inter parentandum recitata, notauit Noster, quæ præcipuo piorum institutorum auctori, summaq; dignitate prædicto inter publicos sancti moris magistros, BRVNCHORSTIO, domicilium paulo

post præbuit, ad excitanda cum GLASSIO sanctiora studia huc vocato. Ita facile puero nascenti iniicitur sanctioris litteraturæ amor sub exemplis familiariibus; quam a sua nascendi conditione alienam suspicari non potuit, dum adolescens vidit, quo loco essent, & honore SECKENDORFIVS, & LVDOLFVS propter eadem studia. Habuerunt hæc Germaniæ lumina, ille veritatis EVANGELICÆ vindex, hic orientalis litteraturæ arbiter summus, ac promus condus Æthiopicæ antiquitatis, & eruditionis, summorumque litteratorum. Bocharti, & Hottingeri, in eadem magister, quamvis exteri, Gotham præcipuam fortunarum suarum sedem; commendatiq; virtutis & doctrinæ opinionem PIO ERNESTO, in huius gratia perpetuum næcti sunt robur, & præsidium ad summa quæque enitendi, & ea conandi, perficiendique, propter quæ in tanta per Europam celebritate versantur. Constat fane, (a) illum ipsum, qui LVDOLFO veteris, & hodiernæ Æthiopum litteraturæ præcipuus autor, & magister fuit, ABBATEM GREGORIVM, Habessinum, Gotham inuitatum a PIO PRINCIPE, omni comitate exceptum, & gratiæ singularis testificatione diu ornatum fuisse, ut gentis, sacrorumque Æthiopicorum noscendorum non deesset occasio. Vel hæc celebritas litteraturæ orientalis tanta procerum admiratione exceptæ: nam PII PRINCIPIS auspiciis, interprete Ludolfo, Frantzkius, Schröterus, Auemannus, Seckendorfius præter Glassium, & Brunchorstium cum illo Gregorio de rebus Æthiopicis, quod quisque in vulgatis de ea gente commentariis legerat, contulisse (b) memorantur: caussa esse potuit NOSTRO non abiiciendi sanctorum litterarum curam inter iuris, & ciuilis prudentiæ studia.

IV. Nec domus natalis, mosque autus piis eius ausibus repugnauit, aut regioribus studiis obfuit. Solertissimo ingeniorum æstimatori, PIO ERNESTO, IOANNES BREITHAVPT, quem parentem NOSTER habuit, solidæ virtutis opinione ita est conciliatus, ut vnum ex omnibus diligenter, cui ærarii procreationem mandaret. Dudum litteris claros extitisse in gente illa CAPLATONIA, SVMME REVERENDVS ABBAS BERGENSIS, D. IOACHIMVS IVSTVS BREITHAVPT, excellens theologus, & Hallensis Academiæ decus, NOSTRI agnatus, diserte (c) testatur. Certe pluribus retro seculis in ducum Saxoniz municipio non ignobili, Cruciburgo,

gen-

(a) Iobi Ludolfi Histor. Æthiop. L. 1. Proœmij Comment. p. 31. seq. Junckeri Comment. de vita Ludolfi p. 68. seq. (b) ibid. p. 72. (c) Epist. ad Keslerum, II. Gymn. Goth. ConR. præmissa Comment. R. Salom. in libr. Iob.

gentem illam floruisse, & eminuisse ut plurimum dignitate consulari, atque  
liisque praefectoris spectatoribus, pluresque complexas familias nobilio-  
res, Eckardorum, Mulsingorum, Weissenbachiorum: ex quibus Abbas  
Hirschfeldensis, Crato de Weissenbaeh, ortus perhibetur; qualis digni-  
tas non ita pridem rediit ad laudatum paullo ante nostri agnatum: ex  
istius familiæ annalibus, in usum parentantium seruatis, potest ostendi,  
Ita & matri ANASTASIÆ SPIELHAVSIÆ, Cruciburgensis praefecti, HEIN-  
RICI PHILIPPI, filiæ, genus plures in Hassia claras familias, communesque  
socii meæ, natæ DEHNELIÆ, nepti Spielhausiæ, maiores attingit: inter  
quos insignis ille Hassiæ Cancellarius, Feigius, numeratur, qui cum Fran-  
cisco Lamberto, Avenionensi, doctrinæ Euangelicæ integritatem patriæ  
sux restituit.<sup>(d)</sup> A tradito itaque, & propagato ad posteros aucto more  
recta destinandi, cum tempora talem probarent, & disciplina non dome-  
stica minus, quam publica cundem extorqueret inuito, hic CAPLA-  
TONIANÆ gentis alumnus non facile potuit desciscere: qui alias, ubi  
tempestiuæ non confirmatur disciplina, cito abiicitur. Nam pessime  
degenerant optime nati, si male fuerint educati: ac plus valent in pueris  
sibi relictis publici mores, & licentia peruagata, quam virtutis, & gloriæ  
auitæ inane nomen.

V. Quod ne suis accideret, parens NOSTRI, IOANNES, nec domi de-  
esse passus est idoneos primæ pueritiæ rectores; nec horum solum industriæ  
despondere voluit formandas sibi rationem vniuersam. Brandenburgum  
primum sibi contigisse præceptorem domesticum, Boitzeburgensium  
sacrorum antistitem in Megalopolitano ducatu deinceps factum, PRÆPOSITI,  
& SVPERINTENDENTIS nomine, & honore, vitæ suæ fata dum ipse enarrat,  
testatur: sed quantacunque fuerit priuati huius magistri doctrina, & solertia,  
non ideo tamen publicæ ILLVSTRIS GYMNASII subductus est disciplinæ  
summa autoritate, & gratia PII ERNESTI florentis viri filius. Nec plebeiæ  
sibolis fastidiebatur condiscipulatus, nec formidabatur disciplinæ lex seue-  
rior, nec sanctiora, quibus operæ scholasticæ interpolantur, studia, & pia exer-  
citia cum lingua Græca, Hebraicæque tyrociniiis damnabantur, ut aliena ab  
instituto alumni ad ciuilia munera instituendi. Sicut ipse B. PAREN'S missus  
erat Cruciburgo in hanc pietatis, & litterarum officinam, & traditus WIL-  
CKIO

<sup>(d)</sup> Windelmann's Hessen-Landes Beschreib; p. 413.

CKIO: ita in eadem adolescere voluit, & solidis humanioris, sacratiorisque litteraturæ fundamentis imbui sub REYHERI magisterio suum IOANNEM FRIDERICVM, puerum spectatoris indolis documento sibi commendatissimum. Non enim nuper ERNESTINÆ pietatis quadam abundantia, vt rectiorum studiorum osoribus videtur, sacratores litteræ, Hebraicæ, Græcæque, in ILLVSTRE GYMNASIVM sunt introductæ. Longe antiquior illa scholæ Gothanæ Iaus est: GRAESERVM, Dresdensium antistitem, in ludolitterario Gothano sub ipsam litterarum, & sacrorum instaurationem ante decimi sexti seculi annum vigesimum Græcas litteras didicisse, alibi (e) ostendi; DINCKELIVM ante eiusdem seculi finem, *Ephordia* ab Hebraicæ lingue & professione auocatum, & Gothanæ scholæ constitutum rectorem; atque ex vicinia pastores, tanquam ad Rabbanum quendam Hebræa proficentem, aduolasse, WILCKIVS autor est. Antiqui huius instituti tenax cum esset B. REYHERVS, & in sacra illa litteratura ornanda nulli operæ, & labori parceret: cumque nec PARENTS alumni falso de studiis scholaisticis, & iuuentutis laboraretiudicio, vt vacationem a sanctioribus operis alumno velle rogare, vel, qua pollebat autoritate, extorquere; nec alumnus maleferiotorum ritu talia studia auersaretur: facile iacta sunt illa fundamenta, quibus superstrui deinceps potuit summa, & admirabilis illa eruditio, quæ ex scriptiōibus eius elucet. Accedebat singularis PARENTIS prouidentia, qua cautum est, ne alumnus cruda studia scholaistica propelleret in academiam. Ad altiora itaque dum aptus, habilisque pronuncianduserat, ne quid gratiæ darent, vel suo affectui scholaustici magistri, in suprema sacrorum curia progressus filii explorari voluit, vt nulla non ratione probata esset ingenii, & doctrinæ maturitas, antequam e discen- tium cœtu scholaustico impetraret missionem. Et quanquam nec natura, quæ in tribuendo ingenio fautrix alumno fuerat, nec vitium institutionis, quæ in omnes ætatis gradus prouidentissime fuerat constituta, maturitatem studiorum retardauerat: PARENTIS tamen optimo consilio alumnus sub scholaistica disciplinæ lege ætatis, & annorum aliquam maturitatem debuit expectare, atque ad academiam, non multo antequam annum ingrederetur vicesimum, est dimissus. Fere enim fit, vt, qui eo erumpunt citius, licentia pueriliter exultent, & quæ confirmare debebant, & augere humanitatis studia, damnent proflus, & abiificant; nec altiora cum successu tractent, vt pote quæ fine illis adiumentis capi non possunt.

VI.

(e) Gotha litterata, §. iv. (f) Suad. Goth. orat. viii, p. 140.

XII.

VI. Nostro ergo nec fraudi fuit scholasticorum studiorum maturitas, nec impedimento impensa illa sanctiori litteraturæ diligentia, quo minus sat cito aggrediceretur altiora, & sat bene, & solide disceret iura, & ciuilis prudenter statuta, seque rite præpararet ad capessenda olim reipublicæ munera. Illa efficiebat, vt, cum vix pedem posuisset in IENENSI academia, pro contuberniis puerili lasciuia, & barbara licentia resonantibus, vel æqualium otiosorum circulis, quibus male præparati tyrones implicantur, doctissimum virorum consuetudinem sectaretur. scholas publicas, priuatasque obiret, & frequens esset, vbi discendi esset opportunitas. Laudat ille in vita sua historia maxime BALTHASARIS MANSONIS, CONSILIARIU PLAVENSIS, humanitatem, CHRISTIANI CHEMNITII, THEOLOGI insignis, pietatem, & ANDREÆ GERHARDI. I. V. D. fidem; atque illius contubernio initio, istius conuictu, huius studio, & præsidio in defendenda dissertatione de *Gal-*  
*lorum* curiis; quæ PARLAMENTA appellantur, vsum se esse cum insigni fructu, & studiorum suorum successu, prædicat. *Hec*, sanctioris niimirum litteraturæ cura, &, quæ ex ea proficiisci solet, NVMINIS reverentia, caussa erat, cur, cum insignis ille tumultus, qui superiore seculo res Ienensium maxime affixit, tunc oriretur, improborum studia detestaretur NOSTER, maleferiaturum cœtibus se subducere, Lipsiamque demigraret. His auspiciis patefactum academicorum studiorum curriculum strenue decurrit, *Lipsie* SCHACHE-  
RI, ICTORVM COLLEGII SENIORIS, conuictu, & scholis publicis, priuatisque vtens, *Gieffæ* TABORIS, ACADEMIÆ CANCELLARII, qui PII ERNE-  
STI scripta commendatione EI conciliatus erat, studio, & consilio fruens, *Hei-*  
*delbergæ* insignia, quibus iuris vtriusque docendi licentia impertitur in academiis, impetrans a COLLEGII ICTORVM PALATINORVM tunc DECANO, postea LEYDENSIVM PROFESSORE præcipuo, BOECKELMANNO, atque habita disputatione sub IACOBI SYLVESTRI DANCKELMANNI, tunc ACADEMIÆ RECTORIS, & postea IMPERIALIS CAMEKÆ ASSESSORIS, præ-  
sido de collegiis, & corporibus, nec non publica lectione dignum se demonstrans.

VII. Quotusquisque non tam præclarorum studiorum fiducia, & doctissimorum hominum applausu, quo NOSTER gaudebat, efferrisse passus esset, ut ad vota properaret, honoratis ministeriis, & munib; publicis se dignum iudicaret, offerret, obtruderet; maxime cum accederet ætatis maturitas, ut potè annum trigesimum ingresso, continuatumque studiorum academicorum ad vndecimum annum curriculum, nec non, qui ad gradum dignitatis

B

suf.

suffragari poterant, gratia, autoritas, potentia? At vero Nostrum non mos magis illorum temporum, quo expectabantur, non rapiebantur munera publica, quam sua modestia retinuit. Ornatus quamuis academicorum honorum insignibus non abiecit tamen discendi cupiditatem; sed studiose se Etatus est viros doctrina, & virtute claros: quorum nescendorum, & salutandorum caussa in plures Rhenanas, Belgicasque vrbes excurrit, Spiram, Philipopolin, Manhemium, Francothalium, Wormatiam, Argentoratum, vbi REBHANII, & BOECLERI maxime studiosus fuit. eorumq; consuetudine cum fructu se vsum esse prædicat. Hic cum PIERNESTI filios, iuuentutis principes, HENRICVM & CHRISTIANVM esset se Etatus; atque hi cum maiore natu fratre, BERNHARDO, in Belgium paullo post mittendi essent, idoneus NOSTER iudicatus est, qui iis comes daretur. atque huic natu maiori, qui iuris fundamenta percipere iussus erat, in hoc tradendo præceptor. Cui negotio cum paucæ per hebdomadem horæ essent impendendæ, non defuit occasio salutandi, & nescendi viros illorum locorum clarissimos, non ICTOS solum; sed litteratores etiam, & theologos, nec non singularia sacra professos: inter quos præcipue laudat VOETIVM, GRONOVIDVM, COMENIVM, LABADIVM, ANNAM MARIAM SCHVRMANNIAM.

VIII. Confirmata his documentis doctrinæ, virtutis, & singularis modestiæ opinio ita NOSTRVM PLO PRINCIPI commendauit, vt sine eius ambitu cito 1581, idque illo ætatis gradu, quo Aristoteles viros ad ardua munera aptos pronunciat, eum CONSILIARIVM AVLICVM COBVRGENSEM esse iuberet. Hoc munere cum ille omni diligentia, & impensiore opera fungeretur, quam corporis vires paterentur; & subinde cumularentur negotia, absente præsertim CANCELLARIO CARPZOVIO, ita vt præter ciuiiles, & ecclesiasticas, militares etiam caussæ ad forum eius referrentur: qui pluribus enim pares creduntur, vt Germanorum habet verbum, iis plura mandantur: succubuit tandem labori, atque ita afflcta est EIVS valetudo, vt medici de ea restituenda dubitarent, eumque dimitterent ad commune asylum & perfugium agritorum, quorum malum docta arte plus valere creditur, aquas nempe salutares, acidulas, & thermas. Paruit ille præscripto, & Francofurti per triennium, quo illa curatio perfici creditur, constituit domicilium, vt tempestiuus excurrere posset ad vicinarum aquarum vsum. DEI propiti munere, cuius prouidentia seruari debebat vir optimus, & per varios casus & discrimina deduci in curriculum operarum laudatissimarum, diuinis

Er-

11.

litteris illuſtrandis, & CHRISTIANÆ religionis veritati aſſerendæ impenden-  
darum, ſucceffit curatio, valetudo ei eſt reſtituta feliciter, & ſatis firmus,  
parque factus eſt lucubrationibus admodum laboriosis, quas poſcit recondi-  
tae illius litteraturæ genus, quod potiſſimum, magni LVDOLF exemplo, ſta-  
tuerat illuſtrare, idque vitæ, quæ ſupereret, cœlibis, nec non patrimonii vni-  
uerſi, ſi opus eſſet, impensa.

IX. Non irritum fuit pium conſilium: perfecit, quod deſtinavit. nec in  
apparatu rerum; ſed opere perfecto eſt extinctus, vel euocatus ad beatam im-  
mortalitatē, ſupergreſſus dudum terminum vitæ Dauidicum primum, non  
procul a fine versans quarti ſupra ſeptuagesimum anni: tanquam vitæ arbi-  
ter ideo viuendi prorogasset ſpatium tam grauibus morbis, & variis cœlibis  
vitæ incommodeſ conflictato, feſſoque, ut ultimam manū imponere poſſet  
operi glorioſo. Disertius SVMME REVERENDI ABBATIS BREITHAVPTI  
ſupra laudata epiftola beati VIRI commemorantur merita, opera, & ingenii  
monumenta, conſecuta hæc præmia, & applauſus, nec non certamina, ut bre-  
uior hic eſſe poſſim, meque continere intra tabulæ modum: quanquam tace-  
ri non debeat & hic singularis prouidentiæ nutus, quo tamdiu ſupereret eum  
oportuit, donec aduersarii argumenta refelleret, oſtenderetque, quam fru-  
ſtra oppugnetur fama operis propter ſententiam non tam rationibus, quam  
diftentientium autoritati contrariam. Quæ olim agitauit, Nazianzenum  
cum notis Hieronymi Wolfi, cuius manu illuſtratum poſſidebat codicem, & a-  
nalecta ad NOVELLAS edenda: non opus eſt memorare, cum ipſe abiecit  
horum deſtinatorum perficiendorum conſilium, ſanctioribus laboribus vnicę  
intentus.

X. Intelligi hinc credo, non aliena eſſe POLITICI nostri ſtudia a ſchola-  
ſticonum hominum iſtituto, nec temere expetitam a nobis litterariam, quam  
reliquit, ſupelleſtilem. Clarius id oſtenderet ipſorum codicum mentio, ſi  
eam hic locus admitteret. Non fraudandi ramen ſunt sua laude hæredes, qui  
intuentes, quam beatus vir ILLVSTRIS GYMNASII præceptores dilexerit,  
cum illis loca Iudaici interpretis diſſiciliora communicauerit, ſententiam eo-  
rum rogauerit, ſubſidia, quæ ipſi deerant, interdum ex ipſorum apparatu lit-  
terario petierit: horum vſui concedere voluerunt bibliothecam BREIT-  
HAVPTIANAM, cum non deſeffent, qui eodem pretio eam vellent redimere.  
Satis etiam ad exemplum, maxime iuuentuti, quæ honestiores natales iactat,  
& ſpes magnas fouet, propter quas alienam a ſuo iſtituto ſanctiorem litte-

ſacra

ratnram credit, commendata videntur BREITHAVPTI studia. Ne antiquissimis maioribus nostris contraria destinare, & suadere videar, dum sancta commendo, quanto apud illos sacra, & sacrorum curatores in pretio fuerint, ostendet nouos labores scholaisticos sacrandi caussa dicturus, & ILL. GYMNASIO valedicturus

IOANNES HENRICVS APEL,  
GOTHANVS.

DE

veterum Germanorum in viros sacerdotes reuerentia  
exponet ille in CLASSIS I. Auditorio,  
*die crastino, horu VII. ante meridiem.*

Quoquot iuuentutis studiis fauent, vt ad audiendum patri-  
cium adolescentem, pii parentis filium non malæ indolis, frequentes  
conueniant, ea, qua par est, obseruantia rogat

ILLVSTRIS GYMNASII RECTOR,  
GOTHOFREDVS VOCKERODT.

---

P. P. GOTHAE, CID 10CC XIV. SEPT. XVI.

---

LITTERIS RETHERIANIS.

